

hoc liberæ accusationis generi præsidium. E contra autem in Florentinorum Republicâ, quæ olim & libera & præpotens fuit, nunc Ducum Florentinorum imperio paret, neglecta isthæc liberè accusandi præsidia, & calumniis concessa libertas, teste eodem hoc nostro Machiavello, plurimum semper nocuit, & eam Rempublicam tandem etiam evertit. Nam quicumque e civibus Florentinis aliquid magni pro patriâ gessissent, ii omnes propter invidiam inimicorum calumniis obnoxii fuerunt; et de uno spargebatur, quod pecuniam publicam in suos usus convertisset; de alio quod corruptus muneribus hostem non vicisset; aut quod ambitionis causâ hoc aut illud perpetrasset. Ex quibus clandestina odia, & ex odio inimicitiae factiones, & tandem seditiones & tumultus orti, quibus tandem eversa fuit Republica. Quæ omni evitari potuissent, si Florentiæ statuta quædam atque leges extitissent per quas legitime accusare reos & calumnias vitare licuisset. Nam quicumque accusati rei, sive damnati, sive absoluti fuissent, Rempublicam certè non evertissent: neque tutum fuisset tot instituere accusationes, quot calumniæ de variis civibus sparsæ fuerunt. Exemplum unum idem Machiavellus adducit de Joanne Guicciardino, qui copiarum Florentinarum ductor Luccam obsedit, eamque re malè aut imprudenter gestâ, nequivit occupare. Quo factum est ut de eo sparsa fama fuerit, quod a Luccensibus corruptus urbem expugnare lubens noluerit. Quæ calumnia ab ejus adversariis aucta atque approbata, Guicciardinum furiis propemodum exagittavit. Nam etsi se ipsum in vincula tradere vellet, ut se purgaret a crimine quod impingebatur, tamen eam suspicionem a se remove non potuit; ob eam scilicet causam, quod Florentiæ non esset ratio quædam legitima audiendarum accusationum & defensionum & calumnias puniendi. Itaque ortæ indignationes & odia inter ipsius familiares, qui erant totius Reipublicæ potentissimi, & eos qui tales, calumnias spargebant, eo usque processerunt, ut cum ob hanc rem, tum ob alia quædam, Reipublicæ ruina subsecuta sit. Itaque orandus Deus Optimus Maximus ut nos a calumniatoribus conservet & custodiat. Vale.